

J. K.
119,
22.

X 1903749

II m
6600

CUPRESSUS

Inter Tiliæ & Palmas.

Quod est,

ORATIO PARENTALIS

Æternæ Memoriae

Serenissimi ac Potentissimi Principis

ac Domini

DOMINI

FRIDERICI III.

Dan. Norvag. Gothorum ac Vandalorum Re-
gis Hæreditarii, Ducis Holfatiæ, Schlesvici, Stor-
maria ac Dithmarsia, Comitis Oldenburgi ac
Delmenhorst, Pii, Felicis, Magnanimi,
Constantis,

DIVI,

Autoritate Publica Jussuq;

ACADEMIÆ LIPSIENSIS

Ipso Palmarum die

ANNI M. DC. LXX.

In Templo Paulino

dicta

à

L. VALENTINO ALBERTI

P. P.

Typis & Sumptibus JOH. COLERI.



TRINO LUGENTIUM PERFECTISSIMO,

Exemplis Regum Principumqve Natis:

Denati REGIS PRIMOGENITO

*Serenissimo Potentissimoq; Principi
ac Domino*

DN. CHRISTIANO,
ejus nominis QUINTO,

D. G. Dan. Norvag. Gothorum ac Vandalorum Regi Hæredi-
tario, Duci Holfatiæ, Schlefvici, Stormariæ ac Dithmarsia, Comiti
Oldenburgi ac Delmenhorst

JUSTO, MAGNANIMO, AUGUSTO.

Divi REGIS CONSOCERO

*Serenissimo ac Potentissimo Principi
ac Domino*

DN. JOH. GEORGIO II.

Saxoniam, Juliaci, Cliviam ac Montium Duci, S. R. Imperii Archi-
marschallo & Electori, Landgravio Thuringiam, Marchioni Misnia
& utriusq; Lusatiam, Burggravio Magdeburgensi, Comiti in
Marca & Ravensburg, Dynastæ in Ravenstein

PACIFICO, SAPIENTI, MAGNO.

B. REGIS GENERO PRIMO

*Serenissimo Illustrissimoq; Principi
ac Domino*

DN. JOH. GEORGIO III.

Saxoniam, Juliaci, Cliviam ac Montium Duci, Electoratus Saxonici
Hæredi, Landgravio Thuringiam, Marchioni Misnia ac utriusq; Lusatiam,
Comiti Marce & Ravensburgi, Ravenstenii Dynastæ

PIO, FELICI, OPTIMO.

DOMINIS SUIB; CLEMENTISSIMIS

Luctum hunc & Affectum

ACADEMIÆ LIPSIENSIS

Eâ quâ par est pietate ac submissione

offert

Interpres Ejus Publicus

L. VALENTINUS ALBERTI, P.P.

Ad
JUSTA

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO III,
DANIAE, NORVVEGIAE,
GOTHORUM, VANDALORUMQUE
REGI HAEREDITARIO, DUCI SLES-
VICENSI, HOLSATIAE, STORMARIAE
AC DITMARSIAE, COMITI IN
OLDENBURG ET DEL-
MENHORST

post auditam XII. persolvenda

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS

Utriusq; Reip. Patres conscriptos & cives
Academiae reliquos invitat.

LIPSIÆ,
LITERIS COLERIANIS.
ANNO M. DC LXX.



I, quod Apostolus jubet, gaudendum cum gaudentibus & flendum cum flentibus, cur in commune gaudii & luctus participium cum Daniæ regno Electoratus hic Saxonicus, & pars hujus, Tilietum nostrum, venire debeant, in promptu causæ sunt sat prægnantes. Præterquam enim, quod Reges Daniæ citiores per duo propemodum secula gubernaculis admoti & Electores Ducesq; Saxoniae post ALBERTI III. ex URSI posteris decessum ex Marchionibus Misniae ad fastigium dignitatis hujus evecti conveniant in communi stipite, sicq; consanguinitatis vinculo jungantur, etiam affinitatis nexu aliquoties hætenus fuere confibulati. Stirps communis fuit Rex Saxonum WITTEKINDUS, ex gentilismo ad Christianismum conversus, ex cujus Filio natu majore WIGBERTO Comites etiam ab Oldenburg & Delmenhorst, quibus Daniæ Reges per ducentos plus minus annos natales debent, ex Filio minore WITTEKINDO Duces & Electores Saxoniae, tam ALBERTINÆ, quam ERNESTINÆ lineæ ortum suum ducunt. Postquam enim ab obitu MARGARITÆ, trinubio coronarum Danicæ, Sueciæ & Norwegicæ celebris, sine prole decedentis, coronæ Danica per Pomeranorum & Palatinorum familias oberrasset, ad CHRISTIANUM Comitem Oldenburgensem & Ipsius in hunc usq; diem posteros devenit. Reliquit hic (extinctâ primogeniti JOHANNIS Filii & CHRISTIERNI vel CHRISTIANI II. Nepotis lineâ) continuâ Parentum & liberorum in lineâ rectâ sibi succedentium serie FRIDERICUM I, CHRISTIANUM III, FRIDERICUM II, CHRISTIANUM IV, & FRIDERICUM III.

QVO

Quomodo Duces & Electores Saxoniae per THIMONEM Misniae Marchionem in hunc usque diem ex WITTEKINDO juniore genus suum derivent, nobis harum terrarum inquilinis notius est, & pro ratione invitationis prolixius forsitan esset, quam ut pluribus impraesentiarum velut ob oculos ponatur. Affinitates inter utramque familiam currente ac superiore seculo contractas quod attinet, quem praeterit connubium Serenissimi Ducis & Electoris Saxoniae AUGUSTI cum ANNA CHRISTIANI III. Daniae Regis Filia, Electoris CHRISTIANI II. cum HEDWIGE FRIDERICI II. Filia, CHRISTIANI V. Filii Regii paulo ante Parentis CHRISTIANI IV. decessum in hisce ditionibus extincti cum MAGDALENA SIBYLLA, Ducis & Electoris Saxoniae JOHANNIS GEORGI I. Filia & ante quadrennium circiter Serenissimi Principis JOHANNIS GEORGI III. cum Celsissima Principe ANNA SOPHIA potentissimi Daniae & Norwegiae Regis FRIDERICI III. (eheu proximo mense Febr. pie denati) primogenita Filia? Causis dictis accedit consortium & commercium sincerae religionis Evangelico-Lutheranae in Daniae regnum a FRIDERICO I Rege pietissimo, paulo post accensam in his terris Evangelii lucem, introductae & a successoribus hucusque factae tectae conservatae. Cur haec Philurea lociam se jungat, speciali ducitur ratione, quod non tantum Nobilitatis lumina, quibus Daniae regnum, quin & totus eruditus Orbis illustratus fuit, hic studiorum tyrocinia posuerint, sed & Filius Regius UDALRICUS a FRIDERICO II. Daniae Rege prognatus, CHRISTIANI IV. Frater, FRIDERICI III. Patruus fasces Rectorales, FRANCISCO ROMANO, juridicae Facultatis Ordinario Pro-Rectore, GUILIELMO ROMANO Comendatore, summo cum Academiae splendore, praecipitante seculo superiore, gesserit. Quare, cum supremo vitae ac mortis arbitro placuerit, ut

ut *Serenissimus atq; Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus*
FRIDERICUS III, Dania, Norvegia, Gothorum, Vandalorumq;
Rex hereditarius, Dux Slesvicensis, Holsatia, Stormaria & Ditmarsia,
Comes in Oldenburg & Delmenhorst & c. Virtute togata simul & saga-
ta, lituo Archiepiscopali & sceptro regio inclytus, orthodoxa religionis
Hyperaspistes acerrimo, hereditarii regni stator primus circa currentis
anni & quidem Februarii mensis initium mortalitatem
suam expleret, *συνπαθήσαν* nostram non regno duntaxat
Daniae, sed inprimis *Serenissima Filia, Celsissimi Pro-Electoris Sax.*
Conjugi suavissima ANNÆ SOPHIÆ, totiq; Electoratus
cernui declaramus, & ut casus tristes in posterum av-
erruncare, leonem anchoratum & fulvidum, domum
sc. utramq; Regiam & Electoralem, salvam, florentem
& incolumem conservare, qui defuerunt *Serenissimo Regi,*
annos hæredibus, *FILIÆ præprimis Illustrissima,* addere,
nec non lugentium omnium *δυσω* sibi curæ cordiq; esse
velit, *τελομέγισον* precibus & suspiriis, quibus capiendis
mentium nostrarum sunt angustiae, fatigamus. Roma-
ni defunctos inter discriminantes, heroibus Colossos,
mediocribus statuas pariles, staturam humanã æquan-
tes, plebeis figilla, vel cubitales imagunculas gratitudi-
nis & honoris supremi monumenta post mortem erige-
bant. Sed quæ Colossus tanto Regi? Pro nostris opibus
mœnia condentes hoc ipso Palmarum die, quem paren-
talibus **CONSOCERI** *Serenissimus Sax. Elector, Dn. & Nu-*
tritius noster Clementissimus destinavit, panegyrico solenni
per Virum Excellentissimum Dn. Lic. VALENTINUM
ALBERTI, Prof. P. benè merentissimum in templo Aca-
demico post auditam XII. habendo iusta tanto Principi ac
Regi, tam pio, tam forti, tam desiderato solvemus. Quò
verò splendidior sit hic parentationis actus, *utriusq; Reip.*
Patres conscriptos, ut meditationibus suis sacris tantillum
succidere, in sacello templi Nicolaitani tempore dicto
sui copiã facere, præsentia suã splendidã plus lucis huic
actui fænerare, suasq; preces pro salute domus utriusq;
Regiæ & Electoralis Sax. nobis cum conjungere velint,
obnoxie rogamus. Euge juva, DOMINE! victrices palmas
inter urticæ ac rutæ germina crescere sine: noxia quæ-
vis ab iisdem depelle. Sic Palmarum hoc die vovemus: sic
ingemiscimus. **HOSI ANNA, HOSI ANNA!**



C. B. D.



Vod præsens ætas audiat, sera posteritas loquatur, *Rector Magnifice, Consules Nobilissimi, Ceteriq; omnium Ordinum ac Dignitatum Auditores honoratissimi*, hoc die Martii vigesimo & septimo, in ipsâ Palmarum solennitate, quâ adventum in cruce passuri Regum Regis celebrat Ecclesia, die atro & ex Coeli commiseratione nunc ad luctum composito, debitum funebre *Divo Friderico Tertio Daniarum ac Norvagiæ Regi, Principi immortalis memoria,* Dresdæ solvit *Potentissimus Elector Noster cum Serenissimo Filio*, mortui Regis Genero primo ac mœstissimo. Luctus enim, qui tanto casui par esse debuit, Daniam non tantum occupavit, nec extrema Septentrionis terrasq; Polo contiguas aut subjectas, quò vastissimum Regum Daniæ imperium extenditur, solum concussit; sed ad Nostros etiam Principes, utriusq; non minus fortunæ ac sanguinis Regii participes penetravit, publicisq; ceremoniis depingi ac conspici voluit. Vis ejus intra aulam hæcenus se continuit, lacrymis *Illustrissimæ Divi Regis Filia*, tanquam fluctibus impedita, quo minus prorumperet foras, Urbemq; totam, omnesq; has Regiones inundaret. In vestibus tamen, ipsoq; personarum & locorum ornatu signa ejus non obscura extiterunt hæcenus; usq; dum hoc die, acceptâ venia, totum se in pompâ funebri explicare, omnibusq; conspicuum exhibere potuit. Civibus, non aliter ac partibus cum corpore, Principum suorum dolorem percipere, eumq; iudiciis etiam pro-
A dere

dere convenit. Nec dubium est, hoc die Florem Nobilitatis, præcipuaq; harum Regionum ornamenta, quæ nunc Dresdæ in Comitibus versantur, animo concipere & intra privatos parietes imitando exprimere, cultum publicum ac solemne, quem sanctissimis Manibus Pater Patriæ tristissimo accuratissimoq; ceremoniarum apparatu ipse exhibet. Uniuscujusq; enim est ex subditis, agnoscere ac fateri, lugendo etiam, beneficium, quod *Divus Rex Fridericus* per *Illustrissimam Filiam*, suavissimumq; *Nepotem*, Dominum olim ac Hæredem harum Regionum certissimum, ante non multos annos in Nos & posteros nostros contulit. In hoc communi luctu quid faciat Academia? Quæ cum tota Regiis ac Electoralibus Daniæ Saxoniamq; Familiis obstricta sit, non ab uno alterove Cive domi nænias scribendas aut canendas, sed à toto corpore specimen luctûs publici dandû esse existimavit. Intuebitur hodiè Dresda inter reliquas solennitates monumentû Dolori sacrum, summo artificio, nec minori affectu extructû, in quo umbræ Majestatis Regiæ in Insignibus, Nomine, ac Symbolo *Divi Friderici*, inter ardentes flammulas, pictæ frequētesq; emicabunt. Supra vires nostras id honoris genus est, qui intra Scholæ umbram, interq; lucubrationes oleum accendere, ac infumere necesse habemus. Statuas tamen, inter quas pro rostris Romani olim Heroibus suis parentabant, facer hic locus imitatur in Imaginibus *Divorum Electorum, Mauriti, Augusti, Christianorum, Johannis Georgii Primi*, Clarissimorum domi ac foris, pace ac bello Principum, quas in proximis templi columnis eleganti opere depictas veneramur. Unum autem maximè deest, & quidem culpâ vestrà, *Patres Conscripti*, quæ eò magis cenfuram meretur, quò facilius à Vobis potuisset evitari. Inter Vos enim cum habeatis ingeniorum Principes,
Viros

Viros eruditione singulari & Tulliana Eloquentia claros; mihi obscuro homini meæque infantiaë probè conscio, provinciam demandastis dicendi de argumento tam illustri, tam sublimi, quod nec tractari humiliter, nec ineleganter efferri debet. Vestra tamen benevolentia meaque pietas tum in Vos, tum maximè in lugentes Principes, me audentem facit, ut aggredi non recusem rem difficillimam, brevissimis delineaturus Vitam *Regis Summi*, cujus originem Majorum merita, & progressionem Virtutes propriae, illustrem fecerunt, exitus autem ipsam planè æternam reddidit. Lumen ego si his dicendo inferre non possum, certus tamen sum, à me obscurari posse nihil. Soli enim frustra, sed sine damno, Lux accenditur. Vos autem, *Auditores*, onus, quod mihi imposuistis, audiendo nunc sublevabitis, pretiumque Orationi, quod præter argumentum non habet, attentione vestrà facietis.

Qui hoc tempore nascentes veris primitias accuratius aspiciunt, in terram quidem, unde progerminant, oculos primùm flectunt, mox ad flosculos ipsos aciem convertunt omnem. Ego perinde, dum laudes *NOSTRI*, elegantia ac suavitate floribus omnibus longè superiores, incipio persequi, dicendi quidem initiū capiam, unde auspiciū vitæ *NOSTER*. Sed multis hæc pertendere quid opus? cùm in ipsâ *REGIS* Personâ, quod admiremur, abundè inveniamus. Patria quidem Regibus est cum pluribus communis, & ad distinguendam nascentium sortem parùm facit. Imò, non ex loco gloriam aucupari, sed loco novam veluti lucem foenerari decet eos, qui natalibus, officio ac dignitate longè omnibus antecellunt. Si quæ tamen Virtutum & ex Virtutibus laudum hæreditas est, quibus olim inclaruit Gens aliqua, næ pars illius maxima penes eos, qui summo genere nascuntur, jure meritoque videtur esse. Sic etiam comparata est illius

Gentis, ex quâ NOSTER natus est, laus omnis, ut non facile sublimitas ejus in alios quàm Heroas cadere possit. Parum erat olim natis in Cimbrica Chersoneso incolis, in Orbis terrorem longè latèqve effusis, in aciem descendere, hostes aggredi, ac superare; hominum enim hæc opera esse videbantur. Ad Alpium juga hieme, quæ altius ea levat, per nivem & glaciem eniti, ipsumque quasi Cœlum percurrere, mox lata corporibus scuta subjicere, & ex summo confragolarum rupium fastigio in valles se demittere, imumque ferè barathrum occupare, Atesim flumen non ponte, nec navibus, nec quadam stoliditate barbaricâ, sed virtute, primùm corporibus aggredi; postquam retinere amnem manibus & clypeis frustra tentaverant, ingestâ obrutum sylva transilire, hoc laudis argumentum esse putabant Viri fortes, quò primi inclarescerent ac soli. Ipsi verò Victori Populo, æternæ Urbi, Gentium Dominæ ab unâ hâc remotissimâ Gente terrorem incuti potuisse, quis non miretur? Quis cladem ipsi à Mario post Silanos, Manlios, Cæpiones aliosq; fusos nõ fortunæ, aut dolo, quò Annibalem, artemq; Cannarum imitatus erat hostis, quàm virtuti ejus imputet? Ex hac Gente *Fridericus Noster*, Majoribus non minor virtute, fortuna aliquando non dissimilis, natus est, Parente *Christiano Quarto* Augustissimi ac æterni nominis Principe, quem alii ob Pietatem cum Davide, alii ob vim invictam animi, & peritiam rei bellicæ cum Henrico Quarto Gallia Rege componere, alii huic ob auctam ex literis gloriam anteferre instituerunt. Ex Davide verò nascitur Salomo, Pacis Princeps, *Fridericus Noster*; & similem Henrico Magno Parentem sequitur Filius Ludovicis non dissimilis, ad augendam Regum Regiæq; Familiæ pótentiam natis. Juxta flumen puteum fodere viderer, *Auditores*, si ultra tantos Natales, quibus omnes Majorũ tituli jam comprehenduntur,

duntur, angustæ orationis limitibus capere auderem laudes illas, quibus AVOS NOSTRI, Proavos, Abavosqve *Fridericum II. Christianum III. Fridericum I.* Reges Daniæ felicissimos, in cœlum usq; quo recepti sunt, superius ac præsens extollit seculum, altiùs profeqvetur posteritas. Regum etiam origines æqvè ac fluviorum moderatiùs examinandæ sunt. Has si ultra scaturiginem inqvifiveris, te ad mare deducent, in quo vastitas immensa, initium nullum: Sic ad Regum incunabula admissus, ulteriùs progrediendo finem non invenies, initiò non inventò, nec facilè hic inveni-endo. Oldenburgica enim Domus, quæ Majores *Herois Nostri* Daniæ coronandos genuit, per tot ætatum ac seculorum ambages in Christiano I. ad Wittekindum Saxonum Regem aut Ducem per Wigbertum Filium ascendit, in quo si conqviescere noluerimus, tandem in Ingvimeros & Arminios, tremenda olim ipsi Romæ Capita, incidemus, bellicamq; virtutem in incunabulis quasi suis torva facie, cultu horrido, aditu ac progressu nos excludentem inveniemus. Id verò tanquam Cœleste monitum negligere non possumus, quo in transferendis propiùs in NOSTRI Familiam regnis fata benignitatem suam prædixerunt.

Ad Nuptias Christiani II. cum Isabella Caroli V. & Ferdinandi I. Divorum Imperatorum Sorore Hafniæ celebrandas Fridericus, Patruus Sponsi ac mox Successor, adduxerat in reliquo comitatu Ressentlovium, Virum genere non obscuro, ac peritum Juris & Astrologia. Hic, cum forte cum Nobilitate reliqvâ computaret & Dux illac transiturus, adveniret, verso ad Danos sermone, qui tunc intererant: Surgite, ait, & futuro Regi vestro obviam ite. Illi dictum, tanquam hominis temulenti, risu exceperunt; sed eventus, velut à vaticinante id prolatum, mox ostendit: cum, dejecto Christiano, advocatus à Senatu Fridericus Regnum accepit. Causas scrutari, nostrum non est; Divinam potiùs providentiam admiramur & deprædicamus, qua non in peregrinum sed Agnatum Regis proximum Regna fuerunt translata. Nec facilè ex Illu-

B stribus

stribus Europæ Familiis dabitur ulla, quæ Wittekindeam superet hac felicitate continuandi in liberis aut consanguineis jus ac titulū in regendis Ducatibus aut Regnis semel à Majoribus occupatum. Seculum nondum effluxerat integrum, ex quo à Turcarum barbarie victa ac triumphata erat Græcia, cūm Cantacuzenorum ac Palæologorum, Imperatorii generis reliquias, contemtiū inter Turcas degentes vidit Busbequius, quā vixit Dionysius Corinthi. Æqvior est Wittekindeorum fortuna, quorum potestas ac splendor, non inter Hippodromica bona invenitur, quæ citò & sæpiū Dominum mutant. Si Familia regnans aliquando extingatur aut dejiciatur, furculus ejusdem stirpis, Dei benignitate, non deest, qui succrescere possit illi, umbramq; subditis denuò indulgere. Perpetuam faciat hanc felicitatem posteris Wittekindi, quæ ipsorum propria est, Numen clementissimum, ut sanguis Heroum nunquam deficiat ad excipiendum sceptrum, à Majoribus acquisita posteris & relicta! Id verò Illustribus Animabus propè singulare est, quòd non nascantur sine igniculis Virtutum, quæ in Majoribus eminerunt, faciles ad imitationem in similibus, si recta educatio accedat. Quis verò in hoc felicior NOSTRO, quis facilior? Parentem habebat Virtutibus non minus docendis ac exercendis aptissimum, qui, quod ipse faciebat præclarè, tūm subditos, tūm Filios omnium maximè, imitari cupiebat. Nihil autem in Principe charius est, nihil pretiosius Pietate, quā Deo, cui alias proximus est, unicè placere potest. Hanc ut instillaret *Divus Christianus Friderico Nostro*, nihil eorum intermisit à primâ ejus infantiâ, quæ huc spectare videbantur. Sunt, qui Principum Liberos liberaliū educandos esse rati, Magistros illos prorsus rejiciunt, quorum cura præcipua est, docere sacra, animumque imbuere præceptis divini Juris. Hæc autem sic constituta

stituta sunt, ut Rationem Status, qualis ab Atheis ac Epicureis hodiè describitur, evertant quidem, Deo tamen nitantur, quo solo, Universitas tota, omniumque Rerum publicarum salus optimè sustinetur. Esse etiam, qui Pietatis studium habitu corporis præferunt, nihil autem præter superstitionem, quâ laborant ipsi, Principum Liberos docere possunt, satis superque exemplis, nostræ potissimum ætatis, compertum est. In alium tamen incidit *Divus Christianus Pater*, quem Filiorum educationi præficeret aut adjungeret. Is erat *Casparus Erasmus Brochmandus*, nobile hujus seculi nomen, Theologus non minorum meritorum quàm famæ, promptus æquè ac idoneus ad ostendendam viam Domini, in quâ Reges Davidis æmulos nocte dieque deceret ambulare. Proxima Pietati est Eruditio, divina virtus, iisque qui vicem Dei in his Terris gerunt, non indigna. Umbraticas quidem Scholarum lites de literis ac syllabis, aut obscura Sophistarum de lana caprina commenta addiscere, quid profit Regum Filiis ad altiora natis ac educandis? Terrarum verò situs, ac Regionum discrimina, urbiumque muniendarum rationem animo tenere, Regium plane est & publico proficuum. Nec frustra nomen à discendo accepit. Disciplina illa, quæ hæc tradit, Græcis olim Mathesis dicta, ut ab omnibus, & quidem ante reliquas artes, primùm addisceretur. In hæc verò, præter Theologicarum rerum notitiam, à primis Adolescentiæ annis excelluit NOSTER: Sidera etiam, eorumque motum animo complexus, quorum supremus circulus, asserente fortiter adversus Copernicum nobilissimo Danorum Mathematico Braheo, inferiores secum quotidie in gyrum rapit, hinc ipsò Principum Summorum studio, qui illum in movendis subditorum animis exactè imitantur, non indignus. Hinc Carolus V. Augustus inter arma etiam astra in Cœlo arte constructo movere

ex Turriano Cremonensi & Petro Apiano didicit, simillimus in hoc sui ordinis Primo, Julio Cæsari, quem olim media inter prælia semper stellarum Cœliq; plagis vacasse, refert Poëta. Satis fuit NOSTRO hos imitari studio ac scientiâ; titulum hinc ambivit nullum, cathedris quàm sceptris aptiorem; sicut Alphonfus X. Hispaniarum Rex, ab Astrorum notitiâ Astrologi titulum accepit, suum Alphonfinis tabulis mutuavit. Corporis verò exercendi cura quàm Principem deceat, animumq; juvare ac oblectare possit, notum adeò est hodiè, tamq; dignum fide putatur à plerisq;, ut illi soli incumbant; quasi corpus, non animus homines faceret & exornaret. NOSTER in addiscendis, ad exquisitum bellorum ac pompæ usum, artibus flectendi decenter regendiq; corpus, eqvos, arma, tantas fecit, progressiones, quantæ in Principe modum harum rectè edocto, laudari verè ac æstimari possunt. Tot verò tantisq; auspicatæ educationis commodis accessit adhuc aliud non vulgare, ex amuffitato virtutum Regiarum exemplo, quotidiè in *Divo Christiano*, Fratrenatu majori, oculis *Friderici Nostri* exposito, dignissimo, quod imitaretur non minùs ac intueretur. Multum fanè in movendis Juvenum animis valent exempla, eorum præcipuè, quorum Virtus cum ætate paululum superat minores, stimulo in his simillima, quò ad imitandum excitari possint. Hinc prudenter admodum summæ natis fortunæ, focii studiorum Juvenilium dantur alii, etiam natalibus longè inferiores, qui discendo egregiè doceant discentes illos suo exemplo, quid faciendum omittendumve sit, natis quidem ad Virtutem, sed sine illa. Sic & Alexander Magnus, cum majorem non esset habiturus, condiscipulos habuisse legitur. Hòc Scholæ stratagemate foris quæsito, haud opus erat in informando NOSTRO, cui singulis diebus ante oculos obversabantur specimina, quæ

quæ in discendis virtutibus ac literis edebat FRATER
CHRISTIANUS, sexenniò ætatis Major, exiguò spa-
tiò, quo paria essent facienda, nisi conditionē natalium,
quam à natura cum Illo eandem acceperat, turpiter
dedecorare, aut spem, quam de se præbuerat, perdere
vellet ipse. Frustrà verò non patiebatur sibi admoveri
hæc calcaria, paratus jam sponte suâ ad decurrendū spa-
tia illa, in quibus vestigia Majorum expressa observaret.
Imò ad exteros se conferre & ab iis exempla Virtutum
petere non gravabatur, Julium imitaturus, quem extra
Patriam muta Alexandri imago ad imitationem vehe-
mentissimè accenderat. Belgium igitur & Galliam
ingrediebatur NOSTER, ad videndum intimiusq; co-
gnoscendum gentes illas, quas aptè hodie Magistras
appellaveris artium dominandi, quibus Respublicas
formari, augeri, conservari fas est. Officinas ibi inve-
nias, ad belli pariter ac pacis negotia instructissimas.
Has verò cautè & accuratè perlustrare quàm necessa-
rium est ac salutare Principi? Hæc fini Lycurgum è
veterum monumentis accepimus, corpore animoque
peragrassè Ægyptum, Cretam aliasq; orbis terrarum
partes, ut exterorum exemplis, institutis ac ceremoni-
is edoctus, Spartanos suos veram civilis vitæ rationem
doceret. Idem NOSTRO in peregrinando animus, idem
successus fuit. Nihil enim in omni Gallia ac Belgio tam
arcanum, quod NOSTRO non patuerit; nihil salubre,
quod non in succum & sanguinem prudenter conver-
terit. Videbat præterea Regum sanguine ortos He-
roas sibi simillimos, quos cum domi rarò conspicere,
possint Summorum Principum Filii, vel hòc solo spe-
ctaculo apud exteros multum lucrifaciunt, feliciores
Gaditano illo, qui Titi Livii nomine gloriâq; commo-
tus ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venit,
statimq; ut viderat, abiit. Eorum autem, qui populos
aliquando recturi sunt, scrutinio ac observatione di-
gna etiam sunt illa, quæ à subditis exterorum Magistra-
tuum

C

tuum

tuum aut Ministris peraguntur. Hæc ne fugerent, oculos NOSTRI, Hospitis, si agnosceretur, Maximi, maluit alienò habitu judicia aliorum de persona sua quàm spem propriam de cognoscendis illis omnibus fallere. Latere tamen omnino vel Deo indice non potuit. De Jove ac Apolline aliisq; gentilium Diis narrant Poëtarum fabulæ, quòd humanam humilemq; figuram mentiti, radiis læpiùs aliisq; signis divinitatem prodiderint. Certiori *Noster* ac divinò planè, quod fama refert, indicio Gallis innotuit. Offerebatur aliquando Corona inter alia *Nostro* spectanda tangendaq; Hanc cum ex Comitibus aliquis capiti suo imponeret, Mystrarum aliquis cui commissa erat ejus ostendendæ cura, illam in *Nostri* frontem transtulit: Hic, inquiens, coronam gestare dignus est, aureamq; capiet olim. Vox, sacrificuli omnisq; hominis acumine sublimior, insigne regium destinans illi, cujus natales & fortunæ à loquente ignorabantur. Sed Deus, in cujus manu posita sunt totius mundi regna, voluntatem suam de his terrenis non indicat per solos Samueles, etiam cum Davidem daturus est. Dania verò ut, quod in Gallia prædictum fuit, aliquando experiri posset, reducem excepit *Nostrum* feliciter, mox per gradus in fastigium summum extollendū. Animus enim exemplis & doctrinis sic instructus nihil desiderat aliud nisi argumentum illustre, par virtutibus suis, in quo se exerceat, aliisq; admirandum potiùs quàm imitandum exhibeat. Id verò non deerat *Nostro* ad capeffendam Bremensium Insularum administrationem missio, ut Dux priùs ac Archiepiscopus periculum regiminis faceret, cujus suprema Rex deinceps tam feliciter explevit. Aquilæ ascensus in sublime est; gradibus tamen ad evolandum opus habet: sic Summi Principes minoribus priùs curis exercitiutiùs ad summum fastigium extolluntur. Erat eo tempore CHRISTIANO IV. Parenti Optio assignatus CHRISTIANUS, Frater *Nostri* natu maximus,

mus, Princeps in seculi decus ac Daniae spem & salutem natus, Regno ac longiori vitâ dignissimus. Sed spes decollabat eventui proxima, sublato è vivis optimo Principe, anni nondum spatium ante excessum Divi CHRISTIANI IV. Parentis, Filiò, turbato Naturæ ordine ante Patrem, hærede ac successore Regis ante Regem ipsum. Ingens erat dolor, quo ex hac morte afficiebatur Dania, temperatò tamen ob FRIDERICUM NOSTRUM superstitem, in quo, mortuo CHRISTIANO IV. Parente, Frater simul ac Parens reviviscere videbantur. Dignissimus proinde toti Daniae Deoq; ipsi habitus est, qui Regna, destinatione, publicâ in CHRISTIANUM olim collata, nunc sibi communi omnium applausu commissâ Rex pius, justus, magnanimus occuparet, felicissimèq; per viginti & duos propemodum annos administraret. Annus, in quem auspiciis Regii hujus Regiminis incidit, post quadragesimum fuit octavus, inter omnes, quotquot hoc Seculo numeravimus, ob redditam Germaniæ pacem, illustrissimus. Nec alio Fridericum tempore, Regem fieri conveniens erat, quem Pacis studiosissimū tam fausta in vicinia decebant auspicia. Optarem, vidissetis tunc, *Auditores*, aut adhuc videre possëtis, certamina blanditiarum ac votorum, à Norwegis in, vindicando Rege sibi nato, ac Danis in eligendo inita. Illi Principem tam justum, tam clementem ac Munificum sibi gratulari, hi ex eadem causa, quâ illi plausum, vota ingeminare, & Regem tot Virtutibus inclutum avidè expetere ac desiderare. FRIDERICUS NOSTER tam blando spectaculo commotus hære, illorum gaudia, horum suspiria notare, fatum acerbæ benignitatis, quo per mortem Christiani Parentis ac Germani, scepra offerebantur, accuratiùs secum expendere, tandem voluntati divinæ se submittere, affectum inter Norwegos ac Danos dividere, ac utrisq; omnibusq; subditis suis, se totum, tanquam Regem ac

Dominum, permittere. Tunc omnis demum Dania,
Norwegia, ultimaq; Septentrionis in plausum effusa.
Hafnia cum primis, Regni aliàs, hinc ceremoniarum,
compendium, quibus in salutando, excipiendo, coro-
nando Rege, Nobiles, Clerus, Cives, Agricolaë deniq;
studebant. In eo enim omnes, quod desiderabant,
supra votum inveniebant. Præterquam enim, quod ex
Duce Regimini jam assveto, Regem optimum sibi pro-
mitterent universi, Sacer Ordo Sceptrum Ei domi com-
missum esse, qui Lituum foris tanta cum laude gesserat,
impensè gaudebat, non malè ratus, fore, ut sacra sub
tali Rege puritatem suam retinerent, quam hætenus
illibatam conservassent. Atq; hinc mihi pateret campus,
Auditores, quem facinoribus egregiis à *Divo Friderico*
occupatum, laudibus ego ac elogiis replerem. Sceptrū
tenuit ultra quintā seculi partem. Momentum, si tem-
pus ipsum spectes, æternitas aut aliquid ipsi simile, si tot
præclara ac immortalia facta rectè expendas. Sed cum
omnia referre haud possim, nedū describere ac exorna-
re, me aliquid conatū esse putabo, si *Nostrum* vobis *Audito-*
res, Regem bello ac pace inclutum, adversis invictum &
prosperis immortuum, breviter descripsero. Hæc enim
longè maxima cum suppetant, cur minoribus inorer,
elegantem corporis structuram, naturæ in crispandis
capillis artificiū describam, justam ætatis maturitatem,
quæ inter æstus juventutis & frigus senectæ medius in
Regium ex inopinato solium evectus est, aut virtutes
ejus, quibus se familiamque Regiam, pius domi ac pru-
dens Rex, gubernavit, prolixius exponā ac collaudem?
Multa enim horum cum aliis comūnia habuit; propria
verò magisq; illustria, quæ nunc afferemus, possedit
plurima. Decennium propè effluxerat, ex quo clavo
Reipublicæ admotus fuerat Rex *Fridericus*, cum
post altam totius Regni pacem exercitus Svecorum
omnem propemodum Daniam inundabat. Causas belli
nec

nec adduco, nec inquirō. Hoc enim non scholæ, sed
Aulæ argumentum esse probè novi. Initia etiam ejus
ac progressionēs non refero, vulgò notas tabulisq; pu-
blicis passim descriptas. Primos tamen impetûs Sveco-
rum, quibus cedere cogebatur fortuna *Regis nostri*,
virtuti ejus nihil detrahēre potuisse dicam. Natura
hîc, non solus hostis, militabat adversus Danos. Quis
restitisset feliciter? Mare enim ipsum, ripas gelu junxis-
se duratumq; glacie ingentia tergo bella transportas-
se, quibus Fionia reliquæq; Insulæ infestarentur, quis
ignorat? Fortitudo etiam absqve victoria non rarò est,
sicut Virtus sine mercede. Fortunam tamen, si non
hostem, semper vincit. Enimverò antiquum obti-
nebat in hoc etiam bello Mars ἀλλοπερόσαλλο, æquus
utrisq; ac iniquus diverso tempore, ut pacem ex ipso
bello gigneret. Temperamenti hujus vis & efficacia
maximè perspecta est post acerrimam Hafniæ oppu-
gnationem à Svecis frustra susceptam, quæ spem spe-
ciemq; capiendæ urbis obsidentibus ademit, utrisqve
pacis studium persuasit. Hâc reductâ, quàm præsti-
tit se *Fridericus Noster* Pacis Principem, omni ope-
rà omniq; studio in id intentus, ut fructûs ejus Regio
ac Religio perciperet! Deducerem hîc vos, *Auditores*,
si opus esset, per singulos civium Ordines, ostensurus
salutaria Regis instituta, quibus in Sacris Sanctitas ac
fides, in foro, vulturibus curiæ ac harpyjis ultra ulti-
mam Thulen relegatis, justitia ac æquitas, in domibus
singulis concordia ac felicitas & in Scholis Academiisq;
feminariis illis Reipublicæ ac fulcris, vigor ac robur
perpetuò fovetur & conservatur. Sed hæc cùm maxima
sint, majus tamen ob novitatis gratiam, quâ nondû exui-
tur, est illud, de quo nunc dicturus sum ad Vos, *Auditores*.
Dania olim liberè eligebat Reges, non adstricta ad unâ
Familiâ aut gentem, adeò, ut Regia Dignitas nonnun-
quam quasi oberrare videretur. Ab hac licentiâ deflexit
D paulu-

paululum liber populus à tempore CHRISTIANI I. qui Regnorum plurium scepra in Familiam Oldenburgicam primus intulit. Hic enim virtute sua effecit, ut Proceres Danici, quibus nil virtute prius, eam in ipso amplexi, Regnum, quanquam Electione semper, solitum conferri, quasi hæreditarium facerent. Libertatem tamen ipsam hæc liberalitate nondum extinxerant, jure non minus ac viribus instructi ad eligendum alium, si Ratio status id svaderet aut imperaret. Expertus est hanc Statuum Daniæ vim Christianus Alter, Primi ex Johanne Filio Nepos, qui ad arbitrium subditorum Regno excidit. Ex illo tempore à FRIDERICO I. in *Fridericum Nostrum* continuâ successionis ferie potestas Regia transit, sed liberâ ac liberali Procerum voce collata. Solus is fuit *Nofter*, qui Regnum sibi suisque, ex utroque sexu, posteris hæreditarium, pleno jure acquirere potuit. Quippe gens animo planè generoso sic omninò existimabat: Non se gratiam meliorem reddere Regibus bene meritis posse, quam si posteros eorum, Majoribus procul dubio nunquam, dissimiles, uno momento Reges aut Regibus pares Regiæque dignitatis capaces declararet. Dies, qui seculis omnibus seculis Reges Daniæ peperit, fuit decimus & septimus Octobris Anno hujus seculi sexagesimo, dignissimus, qui inter solennissimos omni ævo celebretur, natalis quasi Regum omnium Daniæ, quotquot unquam imperaturi sunt posteris. Vidissetis, *Auditores*, festissimas ceremonias, apparatus exquisitissimum, Cives omnium ordinum frequentissimos, quibus tam illustri Panegyris exornabatur. Id verò humanum propè splendorem excedebat, Regem, præter reliquum Comitatum splendidissimum, incedere stipatum Pari Principum Filiorum Augustissimo quatuorq; filiabus Heroinis; confidere illum inter tam illustres Comites medium; Daniam omnem videre ad reverentiam, genibus flexis digitisque in cælum elevatis,

tis, paratissimam, novò se obstringentem sacramentò
Regi Regiæq; Familiæ in annos nunquam terminan-
dos. Hinc certatum est ab omnibus, subditis ac exte-
ris, Regibus etiam ac Rebus publicis, gratulantibus
Statori Juris hæreditarii Primo, *Divo Friderico Nostro*,
de tantò in posteritatem merito, cujus initium nunc
detur, finis nullus cognosci possit. Inter tam secun-
da omina vota q; omnium ac plausùs, unus tantùm in-
ventus est, homo piacularis, qui officii ac ingentium
beneficiorum gratiæq; non ita pridem precibus impe-
trata flagitiosissimè immemor, rebus novis studere, in
Regem Regiamq; Familiam pessima meditari, omnia-
que ad everfionem novi status componere non erubuit.
Sed in effigie posterisq; punitus ex Ephesinâ Lege ad-
huc æterno nominis silentio plectatur, indignus, cujus
infame nomen à posteris audiatur. In tanto verò
periculo quanta eminuit *Regis Nostri* felicitas!
*Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis
secunda nascantur. Occultat utrorumq; semina DEUS, & plerumq;
bonorum malorumq; cause sub diversa specie latent.* Invictum
hactenus adversus hostes *Regem Nostrum* ostende-
rat DEUS; nullis etiam intestinis motibus, nulla per-
fidia ac fraude illum superari posse probavit hoc exem-
plo, quo nullum illustrius ad declarandam DEI beni-
gnitatem extitit. Cætera felicitatis argumenta si tan-
gere (persequi enim non licet) opus est, agite *Auditores*,
ad fontem respicite, unde pleraque eorum emanarunt
hactenus & in posteros derivabuntur. Conjugio,
quod cum *Sophia Amalia* ex Lüneburgensium do-
mo *Georgii* Ducis Filia felicissimè contraxit *Noster*,
gloriam hanc nostra tribuit ætas, futura continuabunt
secula, ex quo natus Successor *Divo Friderico Chri-
stianus*, Princeps pius, felix, Augustus, in quo eodem
die Dania invenit, quod in *Nostro* perdidit. Ex hoc con-
jugio, præter duos Filios natæ sunt quatuor Heroinæ,
D 2 totq;

totq; affinitates aut nunc contractæ, aut in posterum
contrahendæ. Cùm verò inter arcana Rerumpubli-
carum semper numerata sit ars ineundi feliciter matri-
moniorum fœdera, tùm Daniæ hoc proprium fuit à
multis seculis, ut fulcimina non infirmâ beneficiò affi-
nitatis Regnis substerneret. Quid domò Austriacâ
illustrius atq; potentius, quam superiori seculo Regi-
bus Daniæ conjunxit Isabella, CAROLI V. &
FERDINANDI I. Augustorum Soror, CHRISTIANO II. cætera infelicissimo Principi, in matri-
monium data? Quid Familiis Ducum ac Electorum
Saxonæ, Brandenburgicorum, Hassiæ, Holfatiæ, Me-
gapolitanorum, in Germania sublimius, quid splendi-
dius? Quas per Majores *Friderici Nostri* eorumque
liberos Regibus Daniæ affinitate copulatas esse, Fasti
memorant, nosq; adeò ipsi in *Nostro*, Ejusq; *Filio* ho-
diè feliciter regnante, splendidissimoque *Filiarum*
Pari observamus. Nulla verò felicior, nulla ad ex-
hilarandum *Fridericum Nostrum* efficacior, nulla
nobis propior & elogio nostro dignior affinitate illa,
quam in *Filia* natu maxima *Annâ Sophiâ*, Dania-
rum non magis ac virtutum & elegantiarum omnium
Principe, Serenissimo *Johanni Georgio III.* nupta,
non tam iniit cum *Nostri* quam repetiit Rex optimus,
Pater ac Avus Augustissimus. Hunc enim titulum
peperit primùm Optimo Parenti *Filia*, Mater *Johan-
nis Georgii IV.* Principis, in spem harum Regionum,
Parentum, Avorum ac Aviarum delitium nati ac suc-
crescentis. Nunc cùm certa spes est, fore ut Paren-
tum titulum denuò acquirant *Gener Tuus Friderice*,
ac *Filia, Tu* Avi nomen iterum recipere dedignatus,
inter prospera omnia nobis beatâ morte Te subducis.
Hiems, qua asperiores vix unquam sensimus, mitiùs
nobiscum agere jam incipiebat, fluminaq; ac ipsa Tua,
Rex

Rex Potentissime, Maria libertatem pristinam expectabant, quam hactenus violentia tempestatum ipsis eripuerat. Dania non minus Tuo ac Veris vigore refocillari cupiebat. Sed cum minus benignam in Reges Daniæ hanc anni tempestatem jamdudum deprehenderit Historici, quæ mortui sunt Haraldi, Canuti, Waldemari, Christophori, Christiani; in Te, *Rex Beatissime*, æquior hæc esse vix potuit. Ultimus tunc Septentrio Tuus, Sole Æquatori vicinò, illustrari incipiebat, tenebris antea immerfus, à Regibus tamen suis illuminatus, quorum benignissima Lux nunquam illi occidit. Hanc clarius hoc tempore se percepturos esse putabant ejus incolæ, memores natalis Tui, qui primo olim vere cum redeunte Solis lumine, ipsis illuxerat. Nec hodiè sub TE, Rege Christianissimo, perterritos à spectris eos fuisse credimus, quæ mortem Regis, ceu olim id factum esse narrat Olaus, illis prædixerint. Lætiora potiùs omnia apparuerunt. Sed hæc gaudia cur subditis Tuis invides, *Rex Beatissime*? cur mærore ac planctu, TE subtracto, repleas omnia? Hostium Tuorum ultimo, qui solus Te triumphare valuit, cur non opposuisti milites fortissimos, propugnacula invicta, quibus ante annos undecim, eodem anni tempore, Svecos dejecisti? sed his si unquam cessisset ille, *Tu Auguste*, non succubuisses. Mari si advectus est hostis Tuus, in quo tot navigia hoc Anno fregit, tot hominum millia submersit ac extinxit, cur prælio navali non expertus es cum ipso, aut victurus, aut victus, remigio elapsurus? Sed ille dominium etiam maris occupavit, postquam homines, potentiae ejus divino decreto subjecti, id fulcare sustinuerunt. Nec locus fugæ relictus est, ubi hostem ubique, etiam intra nos ipsos, invenimus. Cur verò jus hæreditatis plenum, Tuo merito acquisitum, adversus invasorem non urfisti? Cur *Tu Rex Regnorum*, quæ nunquam

E

mori-

moriuntur, à Te Rege mortem non abegisti? Cur in vortice ac Euripo Norwegiæ, omnium quos Oceanus habet celeberrimo ac maximo, sine spe reversionis par-ricidam non suffocasti? Sed Jus illud ipso nomine videbatur suspectum esse Personæ Tuæ, quod hæredita-rium dici non poterat, nisi Tu moriendo copiam suc-cedendi Natis ex Te posteris facere potuisses. Nec Regna aliunde, nisi ex beneficio successionis, perpe-tuitatem habent. Aqvarum verò voraginem quid metuat ille, qui ipse est abyssus reliquis omnibus pro-fundior, fatalis ac lethalis universis, qui ab Adamo de-scendunt? Naturæ igitur, quod debuisti, solvisti, tan-quam homo, natus communi lege mortalis; reliqua, quæ æternitatis capacia sunt, Cælo, Posteris, famæ ac memoriæ hominum credidisti, nunquam intermori-tura. Dolo pugnare ac occultè aggredi hostem vali-dum & vincere, inter artificia belli semper numeratum est. Infidias has imitari videbantur fata in superando *Friderico*, Rege viribus corporis animiq; adhuc in-structissimo, nec à morbis aut ætate confecto ac fracto. Fatale igitur malum vim suam occultare, intestina pri-mùm, dolore quàm periculo majori, torquere, mox in-ducias simulare, quietem dormienti indulgere, tandem redire, paucisq; horis violentiam omnem exercere ac exercere. Dies, ex quo decumbere inceperat *Rex Beatissimus*, vix numerabatur tertius, quo mane ipso indicia fatalis diei, dubio auroræ lumine longè clariora, apparebant. Viscera ardebant & exsiccabantur febri-bus; vigor effugiebat omnis; mors instabat pallida, quæ æquo pede pulsat pauperum tabernas ac Regum tures. Quid *Noster*? Anteverterat ille, quod avertere non poterat, fatale momentum pietate, cogitando sæ-piùs de Novissimis, eaq; ab Artificibus depicta aut à se-ipso etiam descripta intuendo. Inventa enim est, *Au-ditores*, post mortem *Beatissimi Regis* schedula, libello
Fasto-

Factorum ad quotidianum pietatis usum inserta, in quâ cum jaculis pyrotechnicis surgentem subito fortunam suam, post in sublimi conspicuam, mox per mortem in fumum & cineres abituram, eleganter non minus accipere contulit. Hic nimirum erat animus, hæc Religio *Regis Nostri* ac sanctitas, ut pulverem illum, quem alii in damnum generis humani invenerunt, iterumque cum hominibus perdunt, in argumentum fragilitatis humanæ ejusque pulveris, in quem revertemur omnes, converteret. Longè rectius illo, qui in Epitaphio eorum, qui ad Viennam superiori seculo bello Turcico ceciderunt, gloriæ materiam inde Germanorum petiit. Verum est: *Nos Germani etiam fulmina commentum sumus. Non transit dementiam Salmonei cujusdam Græculi vanam, neque sonitum potius, quamquam et hunc ipsum quoque, sed vim illam terrificam, impetum, impressionem, disjectionem denique vastationem non tam imitati sumus quam expressimus, idque etiam sereno Cælo. Age, coge nubes, Jupiter, ut tonare queas. Nos etiam Te tranquillo, iratum Regnum tuum faciemus.* Sed quid hac arte proficimus indies, quâ tot strages innumerabilium hominum à primo ejus usu edimus? An aptior res ulla, quæ ad exemplum *Nostri* mortis memoriam nobis in mentem revocare possit? Imò, quod majus est, hanc Pietatem *Regis Optimi* præfatio non caruisse, eventus eheu! docuit. Non enim magis fefellit *Nostrium* hoc Vaticinium, quam *Proarum Nostri Christianum III.* DEI aut Angeli vox, finem ipsi morborum ac vitæ indicentis sub ipsum sequentis anni auspiciam, quò beatissimè intrepideque mortuus veritatem ejus ac divinitatem comprobavit. Sic enim amantissimum sui Regem, qui primus verbum divinum domesticasque Lutheri homilias vernaculâ Danis lingvâ legendas exhibuerat, blandè ad se invitandum esse duxerat DEUS. Haut aliter *Noster*, pietate non dissimilis illi, prædictioni suæ, DEI providentiâ, fidem fecit, sic instructus, sic in procinctu mortem præ-

stolatus, ut paratissimus eam excipere potuerit. Hinc
emortuali die ad DEUM Regem suum conversus,
culpam deprecari, quam humanâ imbecillitate commi-
ferat, veniam rogare, in gratiam cum ipso per Mediato-
rem Filium, redire, hanc Sacramento Corporis ac San-
guinis Dominici confirmare, precibus instare alteram-
que Pietatis partem in *Uxorem Regiam, Filium, Fi-
liasq;* præsentibus, Ministros & subditos ipsos, salutan-
do ac benedicendo impendere, tandem sanctissimam
animam placidissimè efflare cœloq; reddere, unde tan-
tum pignus acceperat ante unum & sexaginta annos,
in sui Regnorumq; usum ac commodum. O tristissi-
mum diem, quò hæc vidit Dania! O acerbissimum
nuncium, ex quo illa audivit Misnia, ejusq; *Domina,
Uxor Serenissimi Electoratus Saxonici Hæredis*, nunc
eò magis in luctum propensa, quò longiùs abest ab
exuviis *Beatissimi Parentis*; quibus, cum per absen-
tiam interesse nequeat officiis à *Serenissima Matre,
Fratre Rege ac Illustrissimis Sororibus* certatim
obeundis, honorem ultimum exhibere pertendit lacry-
mis, *Filia* pia, grata, mœstissima. Felicem verò *Fride-
ricum Nostrum*, qui moriturus præsentis *Filio* Sceptra
cum benedictione divinâ ac paternâ tradere potuit;
felicior in hoc *Parente Divo Christiano IV.* qui in ago-
ne, tanto absentis *Friderici* Filii desiderio, sed frustra,
flagravit, ut ingeminatâ voce exclamaverit: *O Fili mi,
Friderice, Friderice! O utinam mihi adesses! quando venturus est Fridericus
meus? quando Fridericus meus venturus est? Noster* inter oscula ac
suspiria Filii & Successoris mortuus est, ante oculos ha-
bens dexterâq; sæpiùs complexus cupidissimè illum,
quem post se relinqueret Hæredem tot Regnorum ac
Gentium. Sic Tibi, *Rex Beatissime*, PROVIDIT
DOMINUS, cujus benignitatem ac curam semper
exoptabas, *Symbolo* etiam Tuo testabaris. Felicem
etiam

etiam *Christianum Filium Regem*, qui fasces à *Divo Parente* traditos præsens excipere, simul salutari potestremum, DEOq; commendari potuit. CHRISTIANI II. calamitates Danorum Historicorum elegantissimus à maledictione Parentis Johannis profuxisse contendit, qui in majorem aliquando modum excandescens, neq; ultra iræ potens, execratus diris eum devovisse dicitur. Meliora Tibi, imò optima, quæq;, *Rex Christiane* Augustissime, promisit ac impetravit benedictio paterna, quâ initiatus es regno ac potitus eo ipso momento, quo id *Divus Pater* tam piè ac sanctè mortuus reliquit. Regnum accepisti florentissimum, Provincias ac Urbes civibus opibusq; abundantes. Pax terrâ mariq; colitur. Fœdera cum Potentissimis Regibus ac Rebus publicis inita Regnum tuum, mari aliàs cinctum, moenibus ac muris quasi muniverunt. Leges sanctissimæ à Majoribus tuis latæ, cives intra officium, quod DEO, Tibi ac sibi invicem debent, retinent firmiter. Religio, quam primo loco nominare fas erat, in Regnis ac Provinciis viget illibata, Deposita omnibus Mundi imperiis pretiosius ac grandius. Hæc Bona Tibi, *Rex Potentissime*, propria perpetuaque faciat DEUS, eademq; in his Regionibus nostris ad amissim expressa conservet æternum! Succedat apud *Illustrissimam Annam Sophiam* *Filiam Potentissimus Elector* Noster cum *Conjuge Illustrissima* in locum *Regis Parentis* mortui, cum jam blandissimum Soceri & Socrus titulum induerint, non nisi post multos annos beatâ morte deponendum. *Serenissimus Electoris Nostri Filius*, *Gener Beatisimi Regis Primus*, mox Parentis iterum, sæpius Avi nomine aliquando salutetur, quod non nisi semel ab hoc *Genero Divus Fridericus* admittere voluit.


F

Filia

JKT 6600


Filia ipsa, Domina nostra Clementissima, ad exemplum *Annæ Danicæ, Divi Augusti Uxoris*, pariat his terris nova lætitiæ publicæ argumenta sæpiùs, blandissimumq; *Filiolum Johannem Georgium* serò relinquat, Electoratus ac harum Regionum Hæredem, Avo ac Parenti post longissimos Annos successurum. *Rex ac Principes Serenissimi; Vos*, quotquot inter *Saxones Domini Nostri ac Nutritores, aut Dominorum Nostrorum* inter *Danos Affines* estis, **DEUS** Vos fervet omnes ac univèrsos! Hoc unum, cæteraq; complexum est votum nostrum: **SALUS PRINCIPUM!**

DIXI.



KOT

MC



I, quod Apostolus iubet, gaudendum
 curandum cum
 fleuere gaudii &
 lucere Daniae regno
 Eleus, & pars hu-
 jus venire debe-
 ant sunt sat pra-
 gnantes. Praeter
 teriores per duo p-
 admoti & Electore
 TI III. ex URSI p-
 Misniae ad fastigiur
 ant in communi st-
 jungantur, etiam a
 fuere confibulati.
 num WITTEKIN
 smum conversus, e-
 TO Comites etiam
 quibus Daniae Reg-
 natales debent, ex
 Duces & Electores
 quam ERNESTI
 Postquam enim ab
 coronarum Danica
 sine prole deceder-
 rum & Palatinorum
 ANUM Comitem
 usq; diem postero
 primogeniti JOH-
 vel CHRISTIANI II. Nepolis in ea) continuâ Pa-
 rentum & liberorum in linea recta sibi succedentium
 serie FRIDERICUM I, CHRISTIANUM III, FRI-
 DERICUM II, CHRISTIANUM IV, & FRIDERICUM III.

QVO

